

B. 191.

Index opusculorum hoc volumine
comprehensorum

- 1) Moller animadversiones in scriptores aliquot historiae literariae recentiores
historico-criticae
- 2) I. H. a Seelen de Cimbrorem in reipubl. Lubec. et Cimbriorum Lubecen
ium in Cimbriam mentis.
- 3) Eysd. Symmicta librar. f. librorum ratiom. Index 1.
- 3^a) Episd. Index II.
- 4) 5) Ad. Henr. Lachmanni de codice Hafniensi Adami Brem. Dissertation
- 5) 6) Mich. Richey Polymathemones fidei memoriae divinioris exempla
- 5^a) Eysd. Continuatus
- 5b) Episd. Continuatio altera
- 5c) Episd. Continuatio tertia
- 6) 7) Mich. Richey de Gallorum quorundam de Germanorum ingenii judicij
- 7) 8) I. Burch. Merker de commentariis, quos Gelli memoiris vocant
- 8) 9) I. G. Böhmii de Viti Bevingii historia obfitionis Hafniensis Aneidion literarum
- 9) 10) Christ. Gottl. Bruder de Frider. III Sapientia Saxonie Electore Historiarum Patrono
et propagatore
- 10) 11) I. G. Böhmii de studiis et doctrinae publicae Historiarum in Academia Lipsica
obit oratio
- 11) 12) Frid. Boemer de vera Medicinae origine diatriba.
- 12) 13) Iustini Schneggs commentatio de Aeneae Ilyrii in Romanas litteras mentis
- 13) 14) I. H. Fessli de Afrani Potionis Bibliotheca Romae publicata oratio
- 14) 15) C. W. Schneideri commentatio de antiquis libelis Mirabilis Romae inscripto
- 15) 16) I. Ad. Amrich de antiquitatibus Olysius litterarum
- 16) 17) Recensio homini prodromi Chronicarum gotwicensis
- 17) 18) Viridicale Harzbergiana
- 18) 19) S. Ad. Hartmanni Paucopyrius Ju. End. Lib. Bar. de Stein dicti

- 19) ~~23~~) Memoria Jo. Matth. Gypneri auctore Jo. Christ. Richardo
20) ~~24~~) Eloquium Job. Mayen auctore A. G. Kästner
21) ~~25~~) Eloquium Jo. Ge. Roedeker auctore eodem
22) ~~26~~) Memoria Trid. Kospi Mathem. Prof. Kilon.
23) ~~27~~) C. A. Henmanni Supplementa hystorice literanae Gottingen pp.
24) ~~28~~) Jo. Frid. Rehkopf de Licentia et fibis literarum orientalium studiorum
25) ~~29~~) Memoria Henr. Eich. Schröden auct. I. M. Gypner.
26) ~~30~~) De vita et morib. a Seelen
27) Henr. Brüder De Lubecensium patria extra patriam.
28) Balth. Hunter, Lubecensium apud exteror. claronum Decas I.
29) Jo. Henr. a Seelen Lubeca orientalis.
30) " De Lubecensibus doctorum Theologiae dignitate congiuntur.
31) El. Moscow De magnificentia consulari in republica Lubeca.

9.

DE
FRIDERICO III. SAPIENTE
SAXONIAE ELECTORE
HISTORIARVM
PATRONO ET PROPAGATORE

DISSESTIT

ET

AD AVDIENDAM

ORATIONEM

NOVI MVNERIS HISTORICI
AVSPICALEM

INVITAT

CHRISTIANVS GOTTLIEB BVDER

D. ET PP.

IENAE A. R. S. MDCCXXXI.

LITTERIS HORNIANIS.

ex dono
AVG 70



De
Friderico III. Saxoniae Electore
Historiarum
Patrono et Propagatore.

Vere ac sapienter de FRIDERICO III.
Sapiente Saxoniae Principe Electore,
PHILIPPVS MELANCHTHON summus
vir et praeclarus optimarum doctrina-
rum in Germania praeceptor, pro con-
cione commemorauit: * Neminem Princi-
pium ingenia aut nouisse melius, aut aliuisse
benignius. Probarunt quoque cumula-
tas illas sapientissimi Principis laudes
boni omnes cum grata posteritate, quas olim Friderico tri-
buit

A 2

* Oratione dicta in Funere Friderici Saxoniae Ducis, quæ ex-
tat, cum in Declamationum Tomo II. a Johanne Richardio,
edito p. 663. 670. tum in Simonis Schardii Orationum lu-
gubrium, Tomo II. p. 144.

buit in illustri Bononiensium Academia, ibidem eo tempore Nationis Germanicae Syndicus CHRISTOPHORVS SCHEVRILVS Norimbergensis, qui inter cetera praeconia † scribit: Princeps Fridericus, ut beatas efficeret suas civitates, ipse vero optime imperaret, adeo literario studio delectatur, adeo amoeniores literas complexus est, ut Germanorum Principum sine controvressia eruditissimus habeatur. Inter alias vero doctrinas imperantibus utiles atque salutares amauit Historiam vitae magistram, Principum scholam. Peractis enim* negotiis, et constituta administratione Familiae aulicae, si quid temporis erat reliquum id tribuerat cognitioni Historiarum, quas non tantum voluptatis causa se legere dicebat, sed sumere inde multis de rebus commonactiones, earumque cognitionem non gubernatoribus solum, sed ceteris etiam hominibus omnibus necessariam esse, in quem usum sibi curauerat perscribi Epitomen Historiarum, in qua series erat omnium temporum et Monarchiarum, quam ita in conspectu babebat, ut in grauissimis deliberationibus, saepe inde exempla recitaret. Cum quibus enim amicis libentius confabuletur ** cordatus et pius Princeps, qualis certe erat Fridericus,

quam

† Libello de laudibus Germaniae et Ducum Saxonie, impressum Bononiae per Benedictum Hechoris, Bononiensem Bibliopolam MDVI. 4. cuius exemplum, Friderico Electori, cui Oratio est inscripta, a Scheurlio oblatum auroque et insignibus Saxonice ornatum, seruat Bibliotheca Jenensis. Recens Lipsiae 1508.

* Teste PHILIPPO MELANCHTHONE, qui rerum Friderici gnatissimus erat, auctore Orationis de Friderico Duce Saxoniae Electore, a D. Iohanne Trutenbul, Jurisconsulto recitata, qua Declamationum Tomo II. cura Io. Richardii edito p. 724, extat, inde habet IOANNES ROSINVS Vita Frid.ri Sipientis Lit. H.

** Verba sunt ERASMI ROTERODAMI decerpta, ex Epistola memorabili sane et plena bonæ frugis, qua Friderico nostro et Georgio Patrueli, Suetonii Caesares dedicauit, scripta Antuerpiae Nonis Junii MDXVII.

quam cum iis, qui et semper praefecti sunt et sapienti plurimum et
nihil loquuntur ad gratiam. Verum nullis ex libris, plus utilita-
tis capi possit, quam ex eorum monumentis, qui res publice priva-
zimque gestas, bona fide posteris prodiderunt, praesertim si regalis
philosophiae decretis imbutus hic accesserit. Ex bonae fidei
scriptoribus, super alias innumeratas, haec pricipue capitur utilitas,
quod non alia res aequa vel bonorum Regum animos ad res cum lau-
de gerendas accendit, vel tyrannorum cupiditates cohabet ac refre-
nat. Dum utriusque cernunt, horum literis suam vitam omnem, mox
in totius orbis, imo saeculorum omnium theatrum producendam; &
quidquid nunc vel in abdito patrant, vel adscito suo prætexunt, vel
metu dissimilari cogant verius quam ignorari, paulo post clarissima
in luce sub oculis omnium traducendum; cum iam metu pariter ac
spe libera posteritas, nec ullo corrupta studio, magno consensu recte
factis applaudat, parique libertate his diversa explodet, exsibilabit-
que. Haec Fridericus Elector, cogitauit antequam ad eum scri-
beret Erasmus, insignemque historicae lectionis utilitatem
adgnouit. Sed non legendo tantum et meditando omnium
saeculorum illustres res, sua commoda unice quaesuit, sed ad
propagandam, renatam tum auspicato Historiae omnis cultu-
ram, magnum studium multamque operam, immortali nomi-
nis cum fama, benigne contulit. Condita siquidem, illustri
propter Albit Academia Vitembergensi, maximis Biblio-
thecam comparauit sumtibus, quae optimos rei historicae
libros habet, e Monasteriis ditionis suae, Galliis et Italia
conductos ac aere comparatos, quibus in summa bonorum
eo aeuo librorum caritate, docentium et discentium studia
insigniter iuvit, atque ornauit. Meritis vero suis in histo-
ricam rem cumulos addidit Fridericus, quem, quo erat mag-
no animo et consilio doctissimos homines voce, scriptisque
benignissime literis, cum ad omnem patriae communis Ger-
maniae, tum Saxonie et maiorum suorum, genere ac summis
in patriam beneficiis illustrum, Historiam percolendam, inui-
taret et quasi concitaret. Quam proudam curam et maxi-
mum memorabilem in bonas artes in primis Historias amo-
rem, cognoscentes instauratores rei historicae, grauissimi viri,

A 3

ad

ad Fridericum nostrum, tanquam tutelare aliquod numen, certissimumque Patronum confugientes, scriptores ac commentarios omnis generis patrias et peregrinas historias illustrantes demisile reuerenterque obtulerunt, quos ad posteritatis memoriam, et tanquam monumenta Fridericianae virtutis marmore et aere perenniora seruat in thesauris suis *Bibliotheca Ienensis*, quae inter cimelia sua Libros Friderici Sapientis Electoris numerat, *Fridericumque* primum suum conditorem † agnoscit. Inter primos, qui *Fridericum* rei historicae Patronum coluerunt fuit **CONRADVS CELTES** Protocius, cui Fridericus III. Aug. Friderici nostri ductu et monitu, inter Germanos primo, literarum ornamenta et insignia ac imperiale laurum tribuerat. Hic Friderico Sapienti itineris sui literarii caussam aperuit, * quae cura antiquos et nondum impresos codices, rerum maxime Germanicarum conquisuerit, atque significavit communi huic literarum Patrone, flagrare se mira quadam historiarum Germanicarum vicinarumque gentium cupidine, ut si quos inueniret de regibus et imperatoribus nostris codices, aut illorum clare gesta aut dicta ab externis vel nostratiis literis mandata, illos in lucem edere, aut *Illustratae Germaniae*, quae in manibus esset, inserere apud animum constituisse. Cumque reperta quodam in Coenobio Ordinis S. Benedicti in vetustissimo Codice, *Opera Hrosvitae* illustris virginis et monialis Germanae, gente Saxonica ortae, Noribergae Electori ostendisset, ut imprimarentur iussit *Fridericus*, dato a Caesareo Senatu priuilegio, ne quis hanc et alia exemplaria impressa in decem annis post Celtem et Sodales suos in liberis et imperialibus urbibus imprimere auderet. Quam Editionem *Friderico* in-

† Compara **CHRISTIANI SCHLEGELII** *Historiam Vitæ Georgii Spalatini* primi Historici Saxonici, sub Præsidio Casparis Sagittarii expositam, Jene 1693. 4. §. IX. p. 20. 21. seq.

* Epistola dedicatoria *Hrosvitae* Operibus praemissa, dignissima quæ legatur.

inscripsit † *Celtes* epistola plena laudum optimi Principis, ob amorem et merita in literas atque historiam. Verissime sane scribit Francus elegantissimus: *Tantus enim amor tuus in eternas et immortales, ut ita dixerim literas et religionem Christianam est, ut facile omnes alios Germaniae Principes, multos etiam praevalentes ad quos literarum cura et patrocinium iure spectare deberet excellas et superes.* Aliisque praeconis interiectis subiungit: *Mirum tuum in literas studium est, nunc Poetas, nunc Oratores et Historiographos, iam Medicos et Theologos et Iurisperitos audis, legis, et te illis oblectaris.* *Celtis* exemplum fecutus alter **CONRADVS PEUTINGERVS** ille, summus vir, qui *Guntheri Poetae historici praefantissimi, Ligurini de gestis Imp. Caesaris Friderici primi Librorum decem, primam editionem, * quam Societatis literariae Augustanae nomine ornauerat Praefatione, ** sua manu Patrono huic historicorum obtulit, codicique haec adscripsit:*

Illusterrimo et summae frugalitatis Principi

Dn. Friderico Duci Saxonie Sacri Ro Imp

Princ Elecotori Comiti Prouinc Turingiae

March Myssiae &c.

Deus-

† Impressam Norumbergæ sub privilegio Societatis Celtice, a senatu rhomani Imperii impetrato Anno 1501. f. Seruat Bibliotheca Ducalis Jenensis Codicem horum Hrosuitæ Operum, a Polychiana Societate Friderico Sapienti oblatum, cui a Sigismundo FAG. Vratislauens. votum Decastichon et Distichon inscriptum. *Guolfgangus quoque Amidobatos cum condiscipulis suis haec adiecit:*

Quem tibi donamus dux Federice serena

Fronte lege nostri non immenor usque libellum.

* Faustum per industrium et ingeniosum Magistrum Erhardum Oeglin civem Augustensem, Anno sesqui millesimo et septimo, mense Aprillio f.

** Conf. V. C. 10 A. GEORGII LOTTERI doctissimam Epistolam qua de consilio suo publicis usibus evulgandi Opuscula Conradi Peutingeri expositae differunt, adde ejusd. *Historiam vita atque meritorum Conradi Peutingeri* §. VIII, p. 53.

Deuotissimus

Conradus Peutinger Augustanus

Iuris utriusque Doctor

JOHANNES quoque REUCHLINVS Phorcensis, illustris graecae et hebraicae literaturae instaurator, hunc nostrum Fridericum demisse ac publice coluit, quumque Vitam Constantini Magni ab Anonymo graece scriptam vertisset † harum deliciarum amantissimo Principi dedicauit, eundemque illustribus et veris laudibus ornauit, quas inter ea est, ab historiarum cultu repetita. Elegantiorum studiorum huic Germanico Mecoenati BEATVS RHENANVS Selestdiensis, repertum in Murbacensi Bibliotheca Vellejum Paterculum * consecrauit culta Epistola, cum ante quatuor annos e Georgii Spalatini literis intellexisset, velle Fridericum, ut quaedam Historiarum fragmenta noviter reperta descripta mitteret, quo poscent in Bibliotheca Electorali reponi, quam pararet insignem bonis auctoribus undecunque convectis referendam. Sed quis omnes libros enumeraret ab eruditis Viris Herculi huic Musagetae consecratos. Quanto studio et labore omnis aeu, medi⁹ maxime monimenta, conquirenda curauerit, quae subsidia praebarent historicis constitutis, docet Peutingeri ad Georgium Spalatinum scripta epistola, cuius partem ** omittere hoc loco non possumus, his verbis conceptam; Petit illuſtissimus Princeps noster, immo tuus, Vitas Cesarum Ottom⁹ et Magni Filii, et Nepotum Luitolfi, Ottonis et Hermanni; item Crēgorii V. Pont. maximi: diu item Caesaris Henrici Secundi et Conjugis eius

† Formis impressus libellus Tubingae apud Thomam Anshelmum Badensem mense Augusto Anno MDXIII. 4. Conf. Epistolam Reuchlini ad Conradum Mutianum inter Mutianicas, quas tamquam Supplementum Historiae Gothanae primum undique conquistas, edidit Wilhelmus Ernestus Tentzelius, p. 20. Append.

* Basileae, in aedibus Joannis Frobenii 1520. f. 001.
** Quam debemus Historiae Conradi Peutingeri, clarissimi Viri Lotteri p. 39.

eius Kunigundis Augustæ, verum has et gesta eorum non accumulatim concinnata, sed undique sparsim collecta habeo et ultra auctores hacce-
nus formis excusos, quorum veterum et recentiorum mibi magnus est
numerus; mea diligentia et etiam non mediocri impensa exscribi mibi
curaui Reginonem Abbatem Prumiensem, Ottonem Friesingenem, et Luit-
prandum Ticinensem Episcopos, apud quos Saxones illi tui, ut res fert,
haberi solent; quorum etiam meminit Procopius de Gothico bello, Gre-
gorius Turonensis Episcopus, et Atto in breuiario suo nuper e Gallia
mibi transmisso. Habeo practerea Pauli Diaconi Foroiuliensis Var-
nesfridi filii, rerum Longobardicarum Libros Sex; Iornandis item li-
brum de bello Gothico, et alios plerosque, qui de Germanis Septentrio-
nalibus, veris Nortmannis, plura perscripferunt. Haec omnia non sine
impensa magna et tempore etiam longo, exscribi possent; nec enim com-
mode eosdem (si modo non habes) ad te vel alios transmittendos puto,
thesaurum meum rerum Germanicarum, quem haecenus ab annis XX.
collegi, quos si ob viarum pericula, del aquarum molestiam amitterem,
tota mea opera, ac quasi harum rerum gloria perderetur. Pauper,
quid tunc agendum non satis perspicrem. - Galfredus de rebus
Britanicis ad te vadit, eo pacto ut redeat, quem velim remittas. Ali-
ud quidem exemplar non habeo. Ex omni porro Germania Fri-
derico historiae patrono transmissa praeclara subsidia, quum SPALATINO, primo Serenissimae Familiae Historico condendi
Chronici Principum Saxonie,* prouinciam tradidisset. Ornana-
dae huius historiae, amplificandaeque Bibliothecae Electoralis
causa Spalatinus varios Bibliothecarum superioris Germaniae, Monasteriorum maxime, Catalogos conduxit, quos in
Bibliotheca Jenensi curiose custodimus, testes conditionis rei
literariae ac librariae, qualis illo aevo fuit. Utque fierent
Spalatinii labores historici pliores ac perfectiores, ipse
Elector ad grauem fide, auctoritate, et doctrina Historicum
Iohannem Aventinum binas scripsit literas, ** primas dominica.
Esto

* Vedit primum lucem Wittebergæ 1541. 4. insertum a FRI-
DERICO HORTLEDERO Operi de causis Belli Germanici
L. IV. c. XXIII, p. 596.

** Eas Aventinus ipse edidit Augusta Vindelicorum Anno 1518.

Esto mihi, alteras d. II. Octobris Anni MDXIV. signatas, in quibus pro transmissis libris gratias agit, variasque doctrinam homini quaestiones historicas proponit, quas heic subiungere haud alienum erit, quum exinde clarissime pateat, quo animo in rem historicam, quamque curiosus fuerit Fridericus, ita conceptas:

*Verzeichniss, was man für Anzeigung von
Herzog Ernst zu Beyern Zucktmeister
Magister Aventino begehrn soll.*

Der Teutschen rechten wahren Ursprung, ihre alte Nakmen und Gelegenheit auffs kürzte, mit Vermeldung wer solches schreibt.

Item, was die Teutschen lang vor Christi Geburt in Asia, Africa und Europain Kriegen, und sonst tresliches gehandelt haben, sonderlich wer es schreibt, dass die Teutschen dem Könige Dario wieder den grossen Alexander und dem Könige Mithridate wieder die Rämer geholfen haben.

Item, die Anzeigung, dass die von Asia nie kein Krieg ohne der Teutschen Hülff geführet haben.

Item, welche Teutschen Rom und der Rämer Land überzogen und gewonnen haben.

Item, Anzeigung der grossen Niederlag unter dem Kayser Augusto an der Elb.

Item, wie der Schwaben Land geheissen ebe sie darin kommen sind.

Item, Anzeigung der Gunst Keyser Arnolphi Franckreich von Teutschen Landen zuthieilen.

Item, den rechten Ursprung der Beyern, und Unterricht wie sie Meylandt und andere Welsche Statt gebauet, und mit Keyser Iulio gekrieget haben.

Item, wie die Beyern von den Rämern und Griechen genennet worden, wo die Beyern überall gewohnet haben, wie sie in ihr ietziges Land kommen seyn, und wer vor darinn gewohnet hat, aus briefflicher Urkundt.

B

Item,

mense Augusto, teste summo Viro V. L. A SECKENDORE
Commentario de Lutheranismo L. I. Sect. XX. §. XLII. p. 57.
Praemissae quoque Editioni Germanicæ Annalium Bojorum,
quam curauit Nicolaus Cisnerus, Francofurti ad Mænum
1580. f.

TO DE FRIDERICO III. SAX. ELECTORE

Item, ein kurtzen Auszug aus dem Rbeginone Abt zu Prim.

Item, ein kurtze Verzeichnus der läblichen Geschicht in Kriegen und
sonst der alten nachfolgenden Sachsen.

Item, Anzeigung mit welchen Römischen Keyfern, bis auf die Zeit
Theodosii Kinder, die Teutschens gekrieget haben, mit Vermeldung
der Bücher in welchen solches steht auffs kürzest.

Item, hiermit zu schicken die Bücher, in welchen aller Römischen Key-
ser Teutscher Nation wahrhaftiges Leben beschrieben ist.

Hac erudita Herois maximis curiositate motus et obstu-
pefactus veluti admiratione Aventinus Sapphicum in Frideri-
cum carmen fecit ex quo paucula decerpere liceat:

Principem nullum similem sub orbe
Esse Romano videas, recondit
Nobiles magno pretio coemtos
undique libros
Ordinat longa serie parentes
Quin et Heroas prius obsoletos
Eripit stagnis Acherontis atri
Donat et aeuo

Cum insigni aeui Fridericiani historico IOHANNE
TRITHEMIO Abate tum Monasterii S. Jacobi in civitate
Heripolensi, per Conradum Mutianum. * Canonicum Gotha-
num, cui summe fauebat Elector, et Henricum de Banauue dili-
genter egit, uti consummaret historiam de gestis Saxonum,
quam Adam de Fulda ** olim inchoarat, sed morte praeuen-
tus non compleuerat. Nec alienum ab opere utilissimo ani-
mum exaratis *** ad Electorem, quem serenissimum et invi-

ctissi-

* Quanto studio incrementa doctrinarum curauerit Mutianus ex
Epistolis ad doctissimos homines scriptis et ad hunc literarum
Patronum datis patet, quas inter variae Friderici Sapientis sunt,
non nisi bonarum artium amorem spirantes.

** Qui Seculo XV. vixit, vid. V. C. IOHANNIS FRIDERICI
SCHANNAT Historiam Fuldensem P. I. p. 58.

*** Quod diligimus ex Epistola TRITHEMII VI. die mensis Novem-
bris An. 1506. scripta, qua Epistolarum Familiarum, per Ja-

Etissimum appellat, literis declarauit Trithemius, paratumque se scribit: *quia p[re] multis Fridericu[m] dignu[m] laude principem omnium ore hominum cognouerit, quippe qui sapientia maximarumque rerum scientia et in viros doctos fauore parem habeat neminem.*

Plura dare possem studii et fauoris Friderici Sapientis, quem et hostes salutem Patriae nominant, nos Literarum Patrem dicimus, in rem historicam illustria arguimeta, si talem expositionem institui ratio permitteret. Exemplum Reipublicae rerumque Germanicarum Adsertoris, quale Friderico elogium *Aventinus* tribuit, imitandum laudabiliter censuerunt, qui hereditario iure cum prouinciis et summis dignitatibus amorem in bonas literas accepere *SERENISSIMI SAXONIAE ELECTORES, AC DVCES ERNESTINAE PROSAPIAE* IOANNES *Confians*, IOANNES FRIDERICVS *Magnanimus*, Filiique cum religiosissimo Parente Academiae Salanae munificentissimi Conditores, IOANNES FRIDERICVS *Medius*, IOANNES VVILHELMVS atque IOANNES FRIDERICVS *Iunior*, horumque GLORIOSISSIMI SUCCESSORES, qui non in Jenensi solum Academia doctos et tradendis curate prudenterque doctrinis historicis aptos Viros aluerunt, sed constitutis *Historicis*, Gentis Saxonicae Serenissimae res gestas omni memoria dignissimas prescribendas curarunt. Quorum vestigia impari licet gressu, quum premere nuper iussus fuerim *Muneris docendi publice Historiar[um]* in florentissima Jenensi Vniuersitate clementissima voluntate *SERENISSIMORVM SAXONIAE ERNESTINAE DVCVM*, Conseruatorum nostrorum benignissimorum, haud ita pridem admotus, more maiorum, DEO auspice noui officii primordia saturus, de felici instauratione studii Historiarum, Germanicae maxime,

*cobum Spigelium, Haganoæ ex officina Petri Brubachii 1536.
4. editarum L. II. p. 208. extat, et Tomo II. Operum Historiorum Trithemii, ex Bibliotheca Freberi f. 518. Quæ Epistola docet illustrem Virum Henricum de Bünau, librorum vel in graui morbo fuisse lectorem.*

12 DE FRIDERICO III. SAX. ELECT. HISTORIARVM PATRONO.

xime, Friderico III. et Maximiliano I. AA. imperantibus Oratione breui d. IV. Junii exponere apud animum constituit Quam concionem ut Vos MAGNIFICE ACADEMIAE PRORECTOR, ILLVSTRISSIMI VIII. S. R. I. COMITES, AVLAE ET ACADEMIAE PROCERES GRAVISSIMI, SACRORVM ADMINISTRIS VENERABILES, VOS denique GENEROSISSIMI ET NOBILISSIMI ACADEMIAE CIVES, frequentia Vestra illustriorem facere dignemini, ea qua par est summa veneratione et obseruantia rogo. P. P. in Academia Jenensi d. III. Junii


A. R. S. MDCCXXXI,




Nr 113. 80



7. 15.



9.



DE
O III. SAPIENTE
 IAE ELECTORE
 STORIARVM
 ET PROPAGATORE

DISSESTIT
 ET
 D AVDIENDAM
ATIONEM
 VNERIS HISTORICI
 AVSPICALEM
 INVITAT
VS GOTTLIEB BVDER

D. ET PP.
 E A. R. S. MDCCXXXI.

ERIS HORNIANIS.